



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 9011826X**

§. 60. Papa Pisanos Romanosque absolvit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)



Sæcul. XIV.  
A.C. 1329.

§. LX.

*Papa Pifanos Romanosque  
absolvit.*

*Rayn. 1329.  
n. 8.*

Interim Papæ authoritas in Italia instaurabatur. Pifani ab Antipapa, qui non apparebat amplius, & a Ludovico Bavaro liberi ad Papam miserunt Legatos; qui sic ei loquebantur: Cum Ludovicus Bavarus nobis significasset, se velle urbem adire nostram, oravimus, ut ne veniret sine consensu Ecclesiæ; illique ad nos delato fortiter restitimus per mensem & amplius, donec omnis auxilii speique ipsius privatio diutius reluctando impares nos reddidit. Tum nobis invitis nostram intrabat urbem magno cum numero equitum peditumque armatorum, secum habens Castrucium nostrum hostem, Guidonem exauthoratum Episcopum Aretinum, pluresque alios rebelles contra Ecclesiam. Narrabant postea Legati, quomodo Ludovicus Antipapam Pifas introduxerit, eum agnosci Papam, eique morem geri jussit. Verum hæc agendi ratio, addebant, nobis visa est abominanda, te verum esse Papam firmissime semper credentibus, & a catholica, quam doces, fide nunquam digressis.

Post-



Postquam Ludovicus a nobis disces-  
ferat, Antipapam & hujus ministros cum  
ignominia dimisimus, manus eis injice-  
re tum non ausi præ metu relictæ a Bava-  
ro Præfecti ac præsidii. Sed & his post  
vires receptas strenue pulsas observavi-  
mus interdictum antea violatum, & Ar-  
chiepiscopo nostro Simoni obedientiam  
rursum præstitimus. Ut igitur e memo-  
ria deleas errata nostra, in gratiam nos  
recipias, urbem ac ejus territorium inter-  
dicto, nos censuris liberes, supplicamus  
parati satisfacere, ac subire poenam, quam  
nobis imponere placebit tibi. Hæc cum  
in senatu Legati protulissent, Papa excu-  
satos habens Pisanos absolvit: ut indi-  
cat per litteras 15 Septembris datas.

Sæcul. XIV.

A.C. 1329.

Sic egit etiam cum Romanis, qui ab  
initio anni redeuntes ad officium, fide-  
litatem Papæ juraverant inter manus  
Joannis Cardinalis de S. Theodoro pon-  
tificii per Hetruriam Legati. Deinde  
missus ab illis Ildebrandinus Patavinus  
Episcopus ipsorum nomine flagitavit a  
Papa veniam, quod Joanne Achajæ Prin-  
cipe, ac eodem Legato Roma exclusis in-  
trudi Antipapam, & Ludovicum corona-  
ri siverint. Papa se illis ignoscere signi-  
ficavit per litteras 13 Octobris scriptas.

Rayn. n. 18.